

III.

NEOVIDENSIS

Nro 83. (*Neovidensis* 1805. Nro 80.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Epistola missa in Elysium ad Comitem
Fridericum de Herzberg.

Ex mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 13. Oct. 1805. (Neov. 4. Oct.)

Excellentissime Domine!

Recordatio magnorum virorum in memori-
am nobis revocat tempora, quibus Vestra
Excellentia publica negotia administravit,
excitatque in nobis studium imitandi, vel
saltem desiderium iisdem vestigiis insistendi.
Atque hæc est ratio, quod hodiernas literas
nomine Herzbergii insigniverim.

Si Vestra Excellentia sequentem para-
graphum in historia nostrorum temporum le-
gerit: *Borussia, in medio trium maximarum Euro-
pæ Gentium, utpote inter Galliam, Russiam, &
Austriam sita, tamesti hæ Gentes bello implicatæ sint,
neutras tamen bellantium sequitur partes, profecto
obstupescet; Et si posteritas hoc factum vol-
verit, mirabitur ejus politicam.*

Utique ex ducentenis¹ triginta millibus
composita neutralitas potest contra quemcu-

que aggressorem suam libertatem propugnare; At in medio trium maximarum sibi oppositarum, & inter se dissidentium potentiarum esse positam, & tamen non sinere se dimoveri a proposito, est omnino plus, quam simplex politica prudentia. Atroci flagrat tota Europa bello, Borussia in medio quiescit, & illa non concurrat ad ignem restingvendum?

Notatu dignus articulus de Borussica neutralitate continetur in quibusdam germanicis ephemeridibus, a fluvio Albi 21. Septembris allatis, ex quo de hac materia plura possunt intelligi, sic autem habet:

Certum est agi de armata neutralitate pro Germania septemtrionali; pluribus jam circuli Rhenani inferioris Statibus factæ sunt propositiones, ut se in hunc finem cum Borussia conjungerent. Portus maris Balthici, qui ad Ducatum Megalopolitanum pertinent, occupabunt copiae Borussicæ, & cum hoc negotio probabilius nexum habet contractio legionum Danicarum in Holsatia. Hac de causa paucos ante dies congregati erant cives Lubecenses, hos enim Borussia invitaverat ad servandam neutralitatem. Interim illi reposuerunt, se alioquin, tanquam urbis Imperialis incolas gaudere neutralitate. An Russia, & Austria sit in hoc neutralitatis systema consensura, ante aliquot dies multum adhuc dubitabatur, dum certo spangebatur venturas in svecicam Pomeraniam legiones; Verum a die hesternâ nuncii Hafnenses in dubium vocant apparatus in russicis portu-

bus. Hoc videtur esse in dies probabilior futurus discessus Gallorum ex territorio Hannoverano. Isti sua jam etiam tormenta abvexerunt nihil parcentes armamentario Hamburgico. Cras, vel perendie excedent quoque Harburgo. Jam a pluribus diebus solito plura Londinum mittuntur. Cum hoc judicatum fuerit pertinere ad solutionem subsidiorum, cursus pecuniarum fuit multum imminutus. Si aliquando, nunc maxima spes affluget liberandi Albim ab obsidione.

Quanta emolumenta adferat neutralitas, patet ex itineribus militum, qui nulla habentes promptuaria, in regnis, quæ ingrediuntur, gratis vivunt. Præcipuam attentionem in hoc genere meretur sequens dispositio.

Instructio Mareschalli Ney, supremi sexti corporis magni exercitus Præfecti, qua ratione copiæ in dextra Rheni ripa alendi sint:

1.) Cum non possint legiones ex promptuariis exercitus sustentari, fiat hoc ab incolis provinciarum sequenti methodo, 2.) Quamprimum fuerint milites per incolas hospitio recepti, viro cuilibet, & equo præbentur alimenta. 3.) Portio officialis inferioris generis, uti etiam gregarii militis consistit singulis diebus in $1\frac{1}{2}$ libra panis, $\frac{1}{2}$ libra carnis, duabus semiunciis oryzæ, vel 4. semiunciis sicci obsonii, $\frac{1}{30}$ lib. salis, & necessariis lignis ad coquendum. 4.) Superiores autem Officiales habeant victum suæ dignitati convenientem, qui tamen nunquam exigent aliquid extra ordinem, vel quod in-

colæ difficulter tantum possent comparare.

5.) Militibus ita collectis, ut in occupata plaga nequirent omnes ali, supremus belli Commissarius aq̄iret a Maresbhallo ordines, quonam debeant administranda vitæ alimenta deferri, an ad certum locum, vel adjacentes pagos, & quidem an ipsi exercitui, vel alimentorum curatoribus tradenda sint. 6.) In casu necessitatis Dominus Mareschallus dabit Divisionum Generalibus potestatem, suis copiis omni, quo fieri poterit modo optimo, vitæ media procurandi; quo tempore supremus bellicus Commissarius sibi subiectos Commissarios instruet, ubi sint faciendæ requisitiones, & quomodo abusus nefors oriuri præcavendi. 7.) In omnibus requisitionibus, quas facit supremus bellicus Commissarius, adnotari debet, eas fieri ad expressum mandatum Mareschalli; in illis vero, quas exigunt inferiores Commissarii, eadem esse jussu Divisionis Generalis factas. 8.) Supremus bellicus Commissarius, & ceteri Commissarii, ita ferentibus rerum adjunctis semper curabunt, ut Magistratus loci alendorum virorum, & equorum numerum in antecessum resciat, sicuti etiam subministrandorum diversorum alimentorum copiam, loca item, ad quæ deferenda, legiones, quibus tradenda sint, vel ad quæ promptuaria deportanda. 9.) Si legio aliqua ex loco hospitii discesserit, atque ita fuerit habita, quemadmodum articulo 3. & 4. præscriptum est, hospitiorum magister, vel Officialis legionis,

primarius Præfectus uniuscujuscunque Divisio-
 nis pro Officialibus, bellici Commissarii pro
 adjunctis rei annonariæ, dabunt apocham,
 quæ numerum hominum, & equorum hospitio
 exceptorum, & una numerum Officialium,
 & militum contineat. 10.) Ex his apochis
 fiat consignatio, quam, si fieri poterit, ipse
 supremus bellicus Commissarius conclu-
 dat. Ita confirmatæ præstationes juxta ini-
 tum inter Gallicum, & aliarum amicarum,
 vel fœderatarum provinciarum Gubernium
 calculum rite exsolventur. 11.) In supra
 memoratis articulo 5. casibus, personæ sub
 numero 8. designatæ testabuntur factas esse
 per incolas provinciæ omnes præstationes,
 quas illæ pro militia imposuerant. 12.) De
 naturæ productis in proutuaria illatis similes
 syngraphas tribuent rei annonariæ Officiales.
 13. Omnes Præfecti, & personæ de Magi-
 stratu provinciæ, acceptas apochas, ferent
 pro revisione ad bellicum Commissarium di-
 visionis, qui easdem veras agnitas dictis
 Præfectis, vel personis ad Magistratum specta-
 tibus restituet, prius tamen illas se vidisse
 attestabitur, numerabit, & catalogo a supre-
 mo bellico Commissario in eam rem desti-
 nato inseret. 14.) Idem ordo observabitur
 circa currus onerarios, si forte casu quodam
 exigendi forent. 15.) Si necessitate ita po-
 stulante, a tergo exercitus subsidiaria prom-
 tuaria deberent constitui, Mareschallus id
 supremo bellico Commissario significabit, pe-
 culiariaque largietur mandata, atque neces-



saria disponet non tantum de modo, & copia rerum convehendarum, sed etiam de loco, ad quem illæ deportandæ sint. 16.) Omnes hæ dispositiones a supremo bellico Commissario, ejusque adjunctis factæ, quasve Mareschallus ratas habuerit, in regno, quo exercitum venire contigerit, quantum fieri poterit, accurate observentur. 17.) Supremo bellico Commissario, & Divisionum Generalibus imponitur, ut præsentem Instructionem, quantum ad eos attinet, opere implerent. Resychiæ 7. Septembris A. 1805. — Subscriptus: Regni Mareschallus Ney. — Exemplari dato conforme: subscriptus Præfectus Ducum generalium, du Taillis.

B i o g r a p h i a.

De Herzberg. (Fridericus, Comes) Reginus Borussicus Status Minister, Curator Regiæ Academiæ Berolinensis, ordinis nigræ aquilæ Eques, & Collegio rei sericæ præpositus. Magnus hic politicus ex antiquissima familia ortus, lucem primam aspexit in Pomerania in suo paterno prædio, *Lottin* 2. Septembris A. 1725. Ejus pater Casparus Herzberg militaverat olim apud Regem Sardinia, & munere superioris præfecti excubiarum fungens, toti successionis hispanicæ bello in Germania, & Italia cum laude interfuit. Cum Fridericus jam in prima juventute singulari propensione ferretur in scientias, annum agens sextum fuit ruri apud Concionatorem nomine Rhens

educ
Gym
co g
Dom
mate
ca p
Halle
mum
A. 1
mia
quæ
Bran
mem
mus
fuit.
de B
Britz
crea
tariu
& re
larii.
Mini
nego
sepe
germ
cinn
quer
direc
gena
gnita
est l
177
cont

educatus; A. 1739 transiit ad Academicum
 Gymnasium Stetinense, ubi A. 1742 historico
 genealogicam deductionem primorum ex
 Domo Austriaca Imperatorum scripsit idio-
 mate latino, ex ipsis fontibus hauritam. Cir-
 ca pascha hujus anni adivit Universitatem
 Hallensem, in qua usque ad A. 1745 potissi-
 mum juri publico Germaniæ operam dedit.
 A. 1752 reportavit præmium a Regia Aca-
 demia Scientiarum Berolinensi ob eruderatam
 quæstionem de prima Impopulatione Marchiæ
 Brandenburgicæ, quo tempore non tantum
 membrum hujus Academiæ, sed etiam inti-
 mus Legationis consiliarius a Rege nominatus
 fuit. Dein inivit matrimonium cum virgine
 de Knyphausen, cum qua obtinuit prædium
 Britz uno milliari Berolino dissitum. A. 1767
 creatus est a Friderico primus Status Secre-
 tarius in collegio negotiorum externorum,
 & retinuit etiam inspectionem secretioris tabu-
 larii. Curavit itaque cum duobus Status
 Ministris Flinkenstein, & Podevils omnia
 negotia externa, omnia scripta, quæ bello
 sepennali commutata erant, edidit lingua
 germanica, gallica, & latina. A. 1762 con-
 cinnavit pacem cum Russia, & Svecia; se-
 quenti anno tractavit, & conclusit solus sub
 directione Friderici II. celebrem Hubertibur-
 gensem pacem, postquam consecutus est di-
 gnitatem secundi Status Ministri, seu factus
 est Minister negotiorum externorum. Anno
 1772. in prima Poloniæ divisione, qui tamen
 contra ultimam infelicis hujus regni dissectio-

nem vehementer declamaverat, multum egit, ostenditque se non tantum in deductione iurium Borussicorum, sed in omnibus etiam ad incrementum Borussicæ domus tendentibus consiliis, minimum strenuum salutis Borussicæ curatorem. In dissensionibus Austriam inter, & Borussiam de Bavaria natis multum laboravit tam scriptis, quam sua immediata, ut sic dicam, efficientia. A. 1779. in sancienda pace Teschinensi nihil neglexit, ipse scripsit pacis Tabulas. Fridericus II. anno 1786. incidens in gravem morbum, ad se accersivit suum ministrum Herzberg, atque apud se detinuit, usque dum 19. Aug. animam efflaret. Fridericus Vilhelmus videbatur eum eadem benevolentia, qua ejus patruus complecti. Ad conservandum in Europa æquilibrium omnes nervos intendit. Hujus effectus erat A. 1790. Reichenbachii celebratus congressus. Tandem illum corporis vires cœperunt deficere, & postquam 69 annis 8. mensib. & 25. diebus, & quidem fere 50. annis in muneribus publicis vixisset, mortem oppetiit.

Recentissime prodivit, venaleque prostat :

Gruberi (C. A.) Elogia, & Epigraphica. Quibus accedit *Diagnosis librorum ab arte Typographica inventa, usque ad annum 1560. typis editorum. Posonii 4. 40 kr.*
